



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Absolutio nonnullis circumstantijs indebitis impeditur, tam ex parte
absoluentis, quàm absoluendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

8 Absolut. ex parte absol.

siquidem huiusmodi consuetudo implicitæ licentiæ, & pia menti curati, qua voluit implicitè suos confiteri & communicari extrà in casu quo festa Paschalia contingeret extrà peragere. Memini aliàs me legisse, Eugenium quartum concessisse seu declarasse viuc vocis oraculo, viatores vbi se inuenerint in Paschate, censendos tanquàm adeptos incolatū quò ad sacramenta pœnitentiæ & eucharistiæ : & secundum hoc non est opus in Paschate huiusmodi interpretatiua licentiæ, sed possunt tunc ab illis confessoribus à quibus iucolè absoluuntur, absolui etiam à casibus Episcopalibus, prout Episcopus loci disponit. In reliquis autem omnibus supradiçtis licentiis explicitè vel implicitè ab Episcopis seu curatis, non approbo posse licentiatos absolui à casibus reseruatīs Episcopo : quia hoc est contra iuris dispositionem. in vi. de pœni & remis. c. Si Episcopus. vbi dicitur, quòd Episcopo dante licentiam alicui quòd confiteatur, non propterea concedit casus reseruatos. Si ergo licentiæ explicata, non comprehendit casus reseruatos, multò minus licentiæ implicita ad illos se extendit. Consuetudo non eligendi confessorem, sed habendi curam animarum præscripta, operatur, vt tam Cardinales curam habeant familiæ suæ, & de eorum licentiâ sui familiares cõfiteri possint cui velint, quàm quicumque alii huiusmodi curam habentes possint similiter absolutionis beneficium per se vel alium suis impartiri: potest enim huiusmodi iurisdicção non minus quàm aliæ haberi ex præscripta consuetudine.

Absolutio nonnullis circumstantiis indebitis impeditur, tam ex parte absoluentis, quàm absoluendi.

Absolutionis impedimenta multa sunt. Et ideo aduertendum est posse illam impediari vel ex parte absol.

Absolut. impedimenta. 9

re absoluentis, vel ex parte absoluendi. Impedit autem ex parte absoluentis Ecclesiastica censura, non quacun- que, sed irritans iudicis sententiam ita ut quandiu reliqua gesta per confessorem tenent, absolutio valeat. Et propterea licet excommunicatio aut suspensio, si confessor sit excommunicatus aut suspensus, annullat absolutionem absolutè loquendo: quia tamen aliqui sunt casus, in quibus gesta per confessorem sic inno- datum tenent: ideò scito quòd ex iure communi se- cundum communem sententiam (ex l. Barbarius. ff. de offic. præt.) tenent gesta per huiusmodi iudicem, ubi duo simul concurrunt, scilicet communis error facti, & titulus. verbi gratia si sacerdos excommunicatus datus est ab Episcopo in curatù, & communiter non habetur ille pro excommunicato propter hoc quia nescitur illum esse excommunicatù, gesta omnia per ipsum tenent. Concurrunt enim ibi ambo simul, scilicet titulus publici officii, quia institutus est ab Episcopo: & communis error facti, quia nescitur ipsum esse excommunicatum. Et hinc habes, quòd absolu- tus à legitimo aliàs confessore habente impedimen- tum occultum, quòd si sciretur impediret absolutio- nem, est verè absolutus & coram Ecclesia.

Ex Extrauaganti verò Concilii Constantien. con- sensu vrentium comprobata, in foro pœnitentiæ te- nent gesta per confessores irritos quibuscunq; Ec- clesiasticis censuris etiam non occultis, nisi in duobus casibus, scilicet propter notoriam percussione[m] cleri- ci, vel propter publicam nominatim denuntiationem. Nam ibi conceditur receptio sacramentorum ab ex- communicatis ministris, nisi altero dictorum modo- rum fuerint excommunicati, & hoc in fauorem ani- marum & innocentium, non in releuam en ipsorum excommunicatorum. Licet enim ipsi ministri excom- municati absoluentes damnationem incurant: pœ- nitentes

10 Absolut. impedimenta.

nitentes tamen absolutionis beneficium consequuntur. Et hoc quantum ad fructum absolutionis spectat, intellige si & quando poenitens excusatur à peccato indicendi cōfessorem excommunicatum ad sacramenti ministracionem, nam non licet sibi inducere illum ad peccandū. Impeditur autem ex parte absoluenti absolutio ex duplici capite, scilicet ab intrinseco ex sacrilegio simulatae vel dimidiatae vel impoenitentis confessionis, hoc est si quis simulat se confiteri, quia tunc deest confessio: simulata enim confessio, non est confessio. Et similiter si quis ex verecūdia, aut aliā irrationabili causa aduertēter dimidiat confessionem, quia tunc nō proponitur peccatum ut remissibile, nam impium est à Deo & eius sacramento dimidiam sperare veniam. Et eadem ratione si quis impoenitentem ex intentione proponit seipsum, quia ut nō absolubilem ministro Christi se præsensat: absolui enim nequit quem non poenitet. Et propterea irrita est in his casibus absolutio ex parte poenitentis. Ab extrinseco verò impeditur absolutio ex parte absoluenti, si poenitens sit excommunicatus maiori, vel minori excommunicatione. nam commune est utriusque excommunicationi, excludere à passiva participatione sacramentorum. Nec hoc est vertendum in dubium. Vnde grauiterrant confessores absoluentes prius à peccatis, & remittentes absoluentos postea ab excommunicatione. est enim hoc contra dispositionem iuris communis, expressè dicente textu, de sen. excō. cap. à nobis est saepe. quòd licet reputetur aliquis per signa poenitentiae absolutus à Deo, quia tamen apud Ecclesiam adhuc absolutus non est, comunicandū ei non est in diuinis: & multò minus impendenda sunt ei sacramenta à quibus principaliter est exclusus. Nec excusari potest hoc factum propter dictam extrauagantē Concilii constantien. quoniam

ibi

Absolut. impedimenta. 11

ibi expresse dicitur, excommunicatos in nullo subleuari obdictam gratiam: multum autem subleuantur, si participes esse possent sacramentorum autem absolutionem. Non ergo potest absolui aliquis à peccatis, antequam absoluat ab excommunicatione tam maiori quam minori.

Vtrum autem si de facto fiat contrarium, absolutio facta teneat, alia quaestio est. multa enim fieri prohibentur, quae tamen facta tenent.

Et dicenda sunt ad hanc quaestionem tria. Primum, quod absolutio à peccatis, de facto ab excommunicato suscepta, non tenet quantum ad praesentem fructum: quia ipso actu suscipiendi absolutionem obicem absolutioni ponit excommunicatus. nam per actum istum ingerit se passivè sacramento à quo exclusus perseverat, quamdiu est excommunicatus: & sacrilegium committit, cõtaminando quantum in se est sacramentum poenitentiae. Licet enim excommunicatus possit initiare sacramentum poenitentiae, exercendo actus qui sunt sacramenti materia, cõtendo, confitendo, & satisfaciendo, non potest tamen perfectio sacramenti (quae in forma absolutionis consistit) se immiscere: quoniam à sacramento est exclusus, non autem à sacramenti materia. Quia igitur excommunicatus ipso actu suscipiendi absolutionem contra absolutionem pugnat, consequens est, ut non absoluat à peccatis suis. Secundum est, quod per accidens in aliquo casu huiusmodi absolutio facta tenet quantum ad praesentem fructum, quando scilicet excommunicatus verè poenitens, ob ignorantiam iuris vel facti, non qualemcunque, sed excusantem eum, absolutionem à peccatis suscipit: quia sacramentum gratiam confert omni adulto offerenti se non ponendo obicem: constat autem huiusmodi poenitentem non ponere obicem, ex hoc quod ponitur ipsum laborare ignorantia excusante à sacrilegio, quod excommunicatus sacramentum suscipiens incurrit.

Es

12 Absolut. impedimenta.

Et propterea quantum teneatur iste querere & obtinere absolutionem ab excommunicatione, nec possit interim immiscere se diuinis, non tenetur tamen ad hoc ut iterum absoluat a peccatis & hoc propter efficaciam suscepti sacramenti, ut dictum est, iteratio enim sacramenti non nisi propter effectum sacramenti fieri debet. Et hinc habes, unde multorum timoratas conscientias consolari possis in multis singularibus casibus, qui prudentiam confessoris relinquuntur examinandi, & iudicandi secundum praedicta duo, scilicet quod fuerit verè poenitens, & laborans ignorantia aut obliuione excusante ipsum. Tertium est, quod absolute loquendo, absolutio sacramentalis inpena excommunicato valet: quia licet huiusmodi absolutio sit iure prohibita & illicita, nullo tamè iure sancitum inuenitur, quod sit nulla, excommunicatus enim est exclusus à sacramentis, quantum ad hoc quod non potest licitè suscipere sacramentum: non autè quantum ad hoc, quod si suscipit, susceptum sit nullum. Si enim excommunicatus susciperet sacramentum ordinis, confirmationis, matrimonii, aut extremae vnctionis, non propterea irritum esset sacramentum susceptum. Pari ergo ratione non est irritum sacramentum poenitentiae ab excommunicato susceptum. Et similiter quia excommunicati participatio in diuinis, dicendo horas canonicas in choro cum aliis, non est irrita (satisfecit enim praepcepto de persoluendo horas) consequens est, ut sacramenti participatio non sit irrita. Et licet huiusmodi absolutio in aliquo non habeat effectum, tunc propter indispositionem recipientis perseverantis in peccato mortali, habebit tamen effectum recedente peccato: & hoc propter vim sacramenti, iuxta doctrinam Augustini.

Excommunicationis absolutio tria praesupponit,